

82 (Q. 107) De Orationum conclusione

Dominicis, in quibus occurunt celebranda Festa duplia 1 et 2 classis, et etiam in Dominica Palmarum, et in Dominica IV Adventus, si in ea occurrerit Vigilia Nativitatis Domini. (Cfr. Conferentiæ ecclesiasticæ Archidiœcesis Mechliniensis, anni 1888, Q. III ex Liturgia.)

ARTICULUS IV

DE ORATIONUM CONCLUSIONE

Q. 107. Quid est Orationis conclusio? Quæ conclusiones Orationum distinguuntur in Officiis ecclesiasticis, et in quibus Officiis usuveniunt?

R. I. Conclusio Orationis ea est formula qua absolvitur, et quæ constituit quartam Orationis partem, seu obsecrationem (cfr. Q. 69). Quas in præcedentibus Orationis partibus diximus gratiarum actiones, et flagitavimus postulationes, in conclusione præsentamus per Jesum Christum, qui unus est mediator Dei et hominum, per quem solum accessum habemus ad Patrem. Sed et totam Sanctissimam Trinitatem intendit Ecclesia quasi indesinenter conglorificare per continuum usum hujus formulæ, quæ Doxologiam continet.

II. Distinguuntur conclusiones Orationum, primo ratione Personæ SS. Trinitatis ad quam aliqua Oratio dirigitur; et alia est conclusio Orationis quæ ad Patrem, alia Orationis quæ ad Filium dirigitur (cfr. Q. 70).

Sed insuper in diversis Officiis ecclesiasticis distinguuntur Orationum conclusiones, ratione formulæ vel longioris vel brevioris qua conclusio constat; utraque describetur in sequentibus Quæstionibus.

Longiores conclusiones usuveniunt tantum in Missa pro Orationibus ante Epistolam, pro Secretis, et pro Postcommunionibus; et in Officio divino pro Orationibus quæ dicuntur in fine Horarum Canonicarum.

Breviores conclusiones adhibentur pro reliquis Orationibus, tum in Missa, tum in Horis Canonicis, tum in aliis ecclesiasticis functionibus, ex. gr., in Benedictionibus, in Absolutionibus; nisi aliter in Missali, in Breviario, in Rituali, in Pontificali, aut peculiari aliqua lege sit dispositum.

De Orationum conclusione (Q. 108, 109) 83

Q. 108. Da tres diversas conclusiones longiores Orationum quæ diriguntur ad Deum Patrem.

R. 1º Orationum quæ ad Deum Patrem diriguntur (cfr. Q. 70), regularis conclusio est: *Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus: per omnia sæcula sæculorum. Amen.* Exempla habentur in pluribus Missis.

2º Quando in principio, vel in medio hujusmodi Orationis mentio fit Filii, tunc in conclusione dicitur: *Per eumdem Dominum nostrum, etc.*

Exempla: Oratio *A cunctis*, in qua occurrit: *Virgine Dei Genitrice Maria*; Oratio in Festo Paschatis, quæ incipit: *Deus, qui hodierna die per Unigenitum tuum*; et aliae, in quibus hujusmodi mentio exigit ut addatur in conclusione verbum *eundem*, modo prædicto.

3º Quod si mentio Filii fiat in fine Orationis, in conclusione omittuntur verba *Per Dominum... Filium tuum*, et conclusio erit: *Qui tecum vivit et regnat, etc.*

Exemplum sit Oratio Missæ votivæ B. Mariæ V. a Nativitate Domini usque ad Purificationem: *Deus, qui salutis æternæ, etc.*, quæ terminatur verbis: *per quam meruimus auctorem vitæ suscipere Dominum nostrum J. C. Filium tuum*; hæc concluditur statim verbis: *Qui tecum vivit, etc.*; item conclusio Orationis in Festo S. Ludovici, Regis, dicenda est: *Qui tecum vivit etc.* (Decret. S. Rituum Congregationis, 16 Septembris 1673, n. 1490 antiq. 2656, ad 5.)

Etiamsi Filii mentio non ita expressa habeatur, qualis in exemplo ponitur, si tamen in ultimis verbis Orationis de Filio, aut de mysterio quod Filium spectat dicitur, eodem modo incipiet conclusio a verbis: *Qui tecum vivit, etc.*

Tales sunt, ex. gr., Oratio ad primam Missam in Nativitate Domini; Oratio in Festo Assumptionis B. Mariæ V., et aliae.

Q. 109. Da duas diversas conclusiones longiores Orationum quæ diriguntur ad Deum Filium.

R. 1º Regularis conclusio Orationum quæ ad Deum Filium diriguntur est sequens: *Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.* Exemplum habetur in Oratione SS.

84 (Q. 110) De Orationum conclusione

Sacramenti : Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili, etc.

2º Si in Oratione quæ ad Filium dirigitur, Deus Pater commemoretur, ejusdem mentio fit etiam in conclusione, dicendo : *cum eodem Deo Patre*.

Rariores sunt in Missali Romano Orationes ad Filium directæ in quibus Pater commemoratur. — Singularis occurrit hujusmodi Orationis conclusio, quæ non est tamen qualis supra datur, nempe in Secreta Missæ in Festo S. Antonii de Padua, die 13 Junii ; tenor illius est : *Qui cum eodem Deo Patre, et Spiritu sancto vivis et regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.*

Q. 110. Quomodo concluduntur Orationes in quibus mentio fit *Spiritus sancti* ?

R. Dictum fuit in præcedentibus (cfr. Q. 70), nullam ex Orationibus dirigi ad tertiam SS. Trinitatis Personam ; attamen nonnumquam in Orationibus quæ diriguntur sive ad Patrem, sive ad Filium, fit mentio *Spiritus sancti* ; in eo casu, in diversis conclusionibus supra enumeratis, post verba *in unitate*, dicitur : *eiusdem Spiritus sancti* etc.

Exempla sunt : Oratio in Festo Pentecostes : *Deus, qui hodierna die corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti, etc.*, aliæque in diversis Missis per Octavam Pentecostes ; Oratio in Festo Præsentationis B. Mariæ V., 21 Novembris ; etc.

Notandum est, in variis Orationibus verbum *Spiritus non significare directe tertiam SS. Trinitatis Personam*, ideoque in his nullo modo addi posse verbum *eiusdem* in conclusione ; ex, gr., in Postcommunione Dominicæ Resurrectionis Domini, quæ incipit : *Spiritum nobis, Domine, tuæ caritatis infunde, etc.* ; patet ibi non directe indicari Spiritum sanctum, et non esse addendum *eiusdem*.

Ad dubium : « In aliquibus Breviariis et Missalibus Oratio Sancti Juliani et S. Fidelis a Sigmaringa, Martyris ; Postcommunio Sancti Joannis Nepomuceni, S. Bernardini, S. Hieronymi Æmiliani, Sanctæ Joannæ Franciscæ, Sancti Januarii, Octavæ Passionis Domini Nostri Jesu Christi, Feriæ IV post Dominicam secundam Quadragesimæ in Vesperis concluduntur : *in unitate Spiritus sancti*. Queritur : An nomen *Spiritus* quod in iis Orationibus legitur indicet revera Spiritum sanctum, et

De Orationum conclusione (Q. III, 112) 85

ideo quomodo sint concludendæ ? » S. Rituum Congregatio rescribendum censuit: « Negative, ad primam partem ; ideoque quoad secundam : More solito concludendæ. » (Decret. 12 Novembris 1831, n. 2682, ad 45, antiqu. 4669, ad 49.)

Q. 111. Da conclusiones breviores Orationum.

R. 1º Si Oratio dirigitur ad Patrem, conclusio est : *Per Christum Dominum nostrum. Amen.*

2º Si in Oratione ad Patrem fit mentio Filii, conclusio erit : *Perecumdem Christum Dominum nostrum. Amen.*

3º Si ad Filium Oratio dirigitur, conclusio est : *Qui vivis et regnas per omnia sæcula sæculorum. Amen* ; vel : *Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.*

Si tamen præter istas communiter assignatas, alia brevis conclusio in libris liturgicis aliquando tamquam propria adnotaretur, hæc servanda foret.

Q. 112. Quando plures dicuntur Orationes, quænam terminantur sua conclusione, et quibusnam præponitur « Oremus » ?

R. « Quando dicuntur plures Orationes, prima tantum, et ultima cum sua conclusione terminantur ; et ante primam, et secundam Orationem tantum dicitur : *Oremus* ; ante primam dicitur etiam : *Dominus vobiscum.* » (Rubricæ generales, Tit. VII, n. 7.)

Igitur, præmissa semel pro omnibus quotquot sunt dicendæ Orationibus salutatione : *Dominus vobiscum* (cfr. Q. 67), ante primam Orationem semper dicitur : *Oremus* ; et hæc prima Oratio etiam semper sua propria, seu convenienti conclusione terminatur ; dein repetitur : *Oremus*, et tunc dicitur secunda Oratio ; quæ, si alia insuper non est dicenda, etiam sua conclusione terminatur ; sed si plures sunt dicendæ, secundæ non dicitur conclusio, nec ante tertiam repetitur : *Oremus*, sed tertia statim adjungitur secundæ, et ita successive adjunguntur quotquot sunt dicendæ, sine *Oremus*, sine conclusione ; ultima tantum dicta Oratio sua propria, seu convenienti conclusione terminatur.

NOTA. I. Hæc dicta intelligenda sunt de Orationibus ante Epistolam, et de Postcommunionibus. Pro Secretis vero animadvertisendum est, quod non præponitur : *Dominus vobiscum*, et quod absolute dicuntur

sine *Oremus*; prima tamen et ultima sua conclusione terminantur.

NOTA. II. Dicitur in responso, quod prima tantum, et ultima Oratio terminantur *sua* conclusione; etenim conclusio semper talis est, quam ultima Oratio cui immediate adnectitur requirit, nulla habita ratione præcedentium Orationum. Ideo, ex. gr., si plures dicentur Orationes sub unica conclusione, et in prima vel secunda, non autem in ultima nominaretur *Spiritus sanctus*, non deberet dici in conclusione: *in unitate ejusdem Spiritus*; item non diceretur: *Per eundem Dominum*, quoties Filius non in ultima Oratione, sed in aliqua ex præcedentibus sub una conclusione dicendis tantum fuisset nominatus. (Decret. S. Rituum Congregationis, 23 Maii 1835, n. 2724, antiq. 4747, ad 1 et 2.)

NOTA. III. In Quadragesima, a Feria IV Cinerum usque ad Feriam IV majoris Hebdomadæ, in Missis de Feria, postquam Celebrans dixit Orationes post Communionem cum suis solitis conclusionibus, remanens in eodem loco statim dicit: *Oremus. Humiliate capita vestra Deo*, caput inclinans; et extensis manibus subiungit eadem voce Orationem « *super populum* » ibidem positam. (Ritus celebrandi Missam, Tit. XI, n. 2; cfr. Tractatus de celebratione SS. Missæ Sacrificii, Q. 259, Nota.)

Hæc Oratio seu Collecta super populum antiqui moris jejunii quadragesimalis vestigium est. In remotis Ecclesiæ sæculis una dumtaxat refectio in diebus jejuniorum sumebatur, quæ in jejuniis extra Quadragesimam differebatur usque post Nonam, in Quadragesima vero usque post Vespertas, quæ labente sole dicebantur. Post Nonam, hoc est circa nostram decimam quintam, seu tertiam horam vespertinam, dicebatur Missa, et in Missa post Communionem dicebantur Vesperæ, loco Postcommunionis; ad instar praxis quam servat hodie Ecclesia in Sabbato sancto; ne scilicet comedetur, nisi post horam vespertinam; at quando Officium Vesperarum a Missa separatum fuit, retenta tamen fuit Oratio, ut benedictioni super populum inserviret: plerumque enim eadem est hæc Oratio

Vesperarum in Quadragesima. (Cfr. Cavalieri, *Opera liturgica*, Tom. II, Pars II, Cap. 38.)

Placet significare explicationem hujus Orationis, quam hodie dant quidam Liturgici: Locum tenet hæc Oratio primævæ formulæ Benedictionis, in fine Missæ ab Episcopo super populum datæ, pro qua Diaconus invitabat fideles ut humiliarent capita sua. Benedictione data, Diaconus dimittebat populum. Formula Benedictionis postea ad sola verba quæ hodie in usu sunt restricta fuit. (Cfr. Cabrol, *Le livre de la prière antique*, 1 vol. in 12°, Paris, 1900, page 116.) — Revera Oratio super populum, retenta hodie in Missis Feriarum Quadragesimæ, rationem habere videtur, non gratiarum actionis sicut Postcommunio, sed potius petitionis gratiarum super populum.

Q. 113. *In quibus casibus primæ Orationi Missæ adjungitur statim alia Oratio?*

R. Dictum fuit in præcedenti responso, quod prima Oratio semper terminatur sua conclusione. Quidam tamen sunt casus extraordinarii, in quibus alia Oratio statim adjungitur Orationi primæ seu substantiali Missæ, ita ut sub primo *Oremus* duæ dicantur Orationes, et ultima harum tantum concludatur.

1º Quando Missa de die substituitur Missæ Votivæ solemnni pro re gravi; tunc enim Oratio Missæ Votivæ impeditæ unitur cum Oratione Missæ de die impedienti sub unica conclusione; deinde, si una vel plures Commemorationes speciales aut communes in Missa de die sunt faciendæ, hæc sub altero *Oremus*, et cum altera dicuntur conclusione.

Hic casus rarus est, et sufficit eum hic indicasse; longius de eo dicetur, quando in altera Tractatus Sectione exponentur leges de Missa Votiva solemnni (Q. 260).

2º Quando in die Adorationis perpetuæ Missa Votiva privilegiata de SS. Sacramento non permittitur cantari, Orationi substantiali Missæ de die impedienti adjungitur sub unica conclusione Oratio SS. Sacramenti. (Cfr. Q. 94, Nota II; et Q. 281.)

3º In Expositionibus ordinariis SS. Sacramenti, in Missa solemnni vel cantata ad Altare Expositionis, in

## 88 (Q. 114) De Orationum mutatione

Festo duplici 1 vel 2 classis, item in Dominica Palmarum, in Vigiliis Nativitatis Domini, et Pentecostes, et in Missa Votiva solemni, modo unica tantum sit dicenda in Missa horum dierum Oratio, etiam adjungitur Orationi substantiali Missæ Oratio SS. Sacramenti sub unica conclusione. (Cfr. Q. 94, Nota I.)

Præterea dari possunt aliqui et rariores casus particulares, in quibus agendum est non secundum regulas, sed ex dispositione speciali Rubricæ particularis, vel per Indultum concessa. De his non est hic dicendum.

Placet tamen unum exemplum proponere : In collatione Ordinum, Oratio pro Ordinatis dicitur cum Oratione diei sub unica conclusione.

## ARTICULUS V

## DE ORATIONUM MUTATIONE

Q. 114. Accidit quandoque ut duæ Orationes in eadem Missa dicendæ sint eædam aut fere eædem ; expone diversos casus qui se offerre possunt in dijudicanda identitate duarum Orationum, quoad textum.

R. 1º Si in duabus Orationibus unius aut alterius tantum vocis datur variatio, Orationes censentur eædem.

Exemplum : Oratio Missæ S. Liborii, Episcopi et Confessoris, 23 Julii, et Oratio Missæ in Vigilia S. Jacobi, Apostoli, 24 Julii, Oratio S. Liborii, desumpta ex Missa *Statuit*, 1<sup>a</sup> de Communi Confessoris Pontificis sequens est : *Da, quæsumus omnipotens Deus : ut beati Liborii, Confessoris tui atque Pontificis veneranda solemnitas, et devotionem nobis augeat, et salutem.* Oratio in Vigilia S. Jacobi, desumpta ex Missa in Vigilia unius Apostoli, est sequens : *Da, quæsumus omnipotens Deus : ut beati Jacobi, Apostoli tui, quam prævenimus, veneranda solemnitas, et devotionem nobis augeat, et salutem.*

2º Si postulatio utriusque Orationis iisdem verbis constat, licet in reliquis partibus aliquid varium sit, censentur Orationes eædem.

Exemplum : Oratio Missæ S. Joseph, 19 Martii, et Oratio Missæ S. Matthei, Apostoli et Evangelistæ, 21 Septembri. Oratio S. Joseph sequens est : *Sanctissima Genitrix tuæ sponsi, quæsumus Domine, meritis adjuvemur : ut, quod possilitas*

## De Orationum mutatione (Q. 115) 89

*nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur. Oratio vero S. Matthæi est sequentis tenoris : Beati Apostoli et Evangelistæ Matthæi, Domine, precibus adjuvemur : ut, quod possilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur.*

3º Si postulatio utriusque Orationis eadem est, et reliqua totaliter differunt, Orationes communiter censentur diversæ.

Exemplum : Declaravit S. Rituum Congregatio, 29 Martii 1851 (Decr. n. 2986, antiq. 5152, ad 2), quod Orationes *A cunctis*, et *Ecclesiæ* possunt simul dici, et consequenter censendæ sunt diversæ, licet hæc circa finem in verbis cum prima pene concordet ; etenim in utraque habetur sequens postulatio : *ut destructis adversitatibus et erroribus universis, (Ecclesia tua) secura tibi serviat libertate.*

4º Si postulatio utriusque Orationis diversa est, licet reliqua essent eadem, censentur Orationes diversæ.

Exemplum : Orationes Missæ secundæ de Communi unius Martyris Pontificis *Sacerdotes Dei*, et Missæ primæ de Communi Confessoris non Pontificis *Os justi*. Pro Martyre dicitur Oratio : *Deus, qui nos beati N. Martyris tui atque Pontificis annua solemnitate lœtificas : concede propitius ; ut, cujus natalitia colimus, de ejusdem etiam protectione gaudemus.* Pro Confessore vero : *Deus, qui nos beati N. Confessoris tui annua solemnitate lœtificas : concede propitius ; ut cujus natalitia colimus, etiam actiones imitemur.*

Q. 115. Quid faciendum jubet Rubrica, quando duæ Orationes simul dicenda sunt eædem quoad textum ?

R. « Cum vero dicuntur plures Orationes, et una Oratio eadem sit cum alia ibidem dicenda, Oratio ejusmodi, illa scilicet, quæ eadem est, non aliæ, commutetur cum alia de Communi, vel proprio, quæ sit diversa. Idem servetur in Secretis, et Orationibus post Communione. » (Rubricæ generales, Tit. VII, n. 8.)

— Verba hujus Rubricæ « illa quæ eadem est » designant Orationem quæ dicenda est pro Commemoratione (cfr. Decret. S. Rituum Congregationis, 7 Septembris 1816, n. 2572 ad 17, antiq. 4526, ad 31) ; itaque hæc, et non Oratio Missæ commutari debet. Et si duæ Commemorationes sunt eædem, tunc commutatur, non prior, sed altera quæ eadem est.